



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

expectabatur ut in semine Abrahæ benedicerentur
cunctæ cognationes terræ, quæ promissio benedictio-
nis futuræ æque nobis maledictionem nostram indica-
uit. Itaq; lex fuit pedagogus in Christum, ut ex fide iu-
stitia daretur & uita credentibus, quæ ex operibus le-
gis dari non potuit. Vide reliqua in hunc locū in com-
mentarijs D. Martini, Gal. 3.

CAPVT XXVIII.



DE his benedictionibus diximus cap. 7.
Sunt autē hæ benedictiones & corpo-
rales & spirituales. Spiritualem enim
esse quis dubitat eā quæ promittit, Su-
scitabit te dominus sibi in populū sanctū &c. Ita ma-
ledictiōes non solū sunt externæ, sed etiam internæ,
ut illa, Percutiet te dominus amentia &c. qua plags al-
ludit ad tenebras palpabiles Aegyptiorū, quæ non so-
lum non uidere permittebant sed ne ire quidem. Hor-
rendū istud est ita abiecto dei uerbo fieri amentem &
excæcatum. Exempla hodie uidemus.

Increpationē, maledictiōē, ut nihil recte pro-
ueniat. Nota q̄ dicit, propter adinventiones tuas pessi-
mas quibus reliquisti me. Non uult deus ut relicta uia
regia uerbi sui sequaris cōsilia cordis tui, sicut ferè ho-
dīe fit in omni dei, quæ uocant, cultu. Et iudicium dei
horrendū est sic relinquere, ut in psal. Ibunt in adin-
ventionibus suis.

K

Adiungat &c.] Omnia ista uerba possunt ut praecedentia in futuro legi &c.

Immoletur] mactetur uel mactabitur. Ducetq; hoc factū in captiuitate Babylonica, ubi legis de quorundā Hebræorū pietate ut Danielis, sed certe pauci fuerūt. Quid uero dicemus de impietate decē tribuum quæ abductæ nunq̄ reductæ legūtur. An putas inter gētes meliores uixisse quæ in sua terra semper impiissimi à morte Salomonis uixerāt? Aduena &c. Exēplū in Samaritanis. 4. Reg. 17. Ut interim non dicam Maledictione Iudæorū gētes sublimatos, Ro. 11.

Quoniā non audisti. Hæc est causa omnium maledictionū, q̄ nō audierūt uocem dei. i. nō crediderunt deo, Et ideo quoq; reliqua facere nō potuerunt, quæ nemo facit nisi qui credit, cui deus non imputat per fidem quicquid nō facit aut malefacit. Talis enim tunc fuit deus credentibus qualis & nunc, nisi q̄ nondum palām facta erat uia sanctorum, uel ad sancta, ut dicitur in epist. ad Heb.

Aduerte, q̄ deus illi populo quasdā horrendas supra fidē & opinionē humanā plagas exhibuit, ne gloriarētur impij sese impune contēpsisse uerbū dei, aut calumniarentur uerbum dei esse mendax, quemadmodum illi Esa. 28. &c. Quædam & ferè omnia quæ sequuntur testatur Iosephus uenisse super illum populū in nouissima sub Romanis captiuitate.

Eo q̄ nō. Impietas in abundantia rerū discedit
 à deo ubi à deo prouocatur beneficijs, ut infra in can-
 tico. Incrassatus &c. Solitudine enim rerum incipit
 torqueri, & quicquid boni uidetur facere hypocrisis
 est, quæ in hilaritate animæ deo seruire nō nouit, ut ali-
 bi diximus, cor enim iam alijs adheret &c.

Dabit em̄ tibi dñs ibi cor pauidū &c.
 Hæc est maledictio Cain, & omnium qui non deū sed
 homines timent & sua damna. Psal. Illic trepidauerūt
 &c. Quæ impietas etiam nostra qui uidemur credere
 increpatur Esa. 51. Quis tu &c.

CAPVT XXIX.

Admonet hoc caput carnem nō posse in-
 telligere quæ dei sunt, ut maxime omnia
 miracula uideat, quæ enim possunt esse
 maiora q̄ quæ in Aegypto facta sunt &
 in mari rubro &c. & tamē Moises dicit ea nō intelle-
 cta à pp̄lo, quia dominus nō dedit cor intelligens &c.
 Caro ut nō suscipit uerbū dei, ita quoq; non intelligit
 opera dei, quæ solus sp̄ialis admiratur & capit siue
 creationis sint opera siue redemptionis, quō enim is
 ignorare potest opera dei qui spiritū dei sentit in sese
 operantē? De alijs dicitur Esa. 6. Excaca cor &c. Et
 in psal. Quoniā nō intellexerūt in opera domini &c.
 Et itē, Obliti sunt dei qui saluauit eos, qui fecit mira-